

750

**De caritate**

victa ad violentiaz. **Giliber. sup can.** Magna est et violenta  
vis caritatis ipsius affectum dei attingens et penetrans. et ve-  
lut sagitta iecur eius transigens. **Can. iij.** Vulnerasti cor me-  
um soror mea sponsa.

**De speciebus diuini amoris. Cap. vii.**

**S**equitur de speciebus diuini amoris. Notandum er-  
go quod quadruplex est amor dei. Primus est naturalis  
quo amore omnes amant deum. et bonum et malum. **Aug.**  
in li. soliloquiorum. Deus quem amat omne quod amare potest  
sive sciens sive nesciens. Secundus est amor quo aliquis amat  
deum eo quod agnoscit eum sibi necessarium. In ps. Diligam te do-  
mine fortitudo mea. deus firmamentum et refugium meum etc.  
Tertius est amor quo aliquis deum amat propter delicias que  
in eo sunt. **Cap. viij.** Et amato factus sum forme illius.  
Quartus est amor amicitie quo aliquis amat deum eo quod di-  
gnissima sit amor. qui amor est pure gratuitus. **Bern.** su-  
per can. Amat caste qui ipsum quem amat querit. non aliud  
quid quam ipsum. **Itz super can.** Amor per se sufficit. is per  
se placet et propter se ipse meretur. ipse premium est sibi. Tres  
ultimas species amoris videtur tangere **Bern.** in libro de di-  
ligendo deo. hinc verbis. natura ita condita fuit ut habeat iu-  
giter necessarium protectorem quem habuit et conditorum. ut  
que nisi per ipsum non valent esse sine ipso nec valeat sustine-  
re. quod sane ne de se creatura ignoret et sibi quod absit ar-  
deget beneficia creatoris. vult homines idem conditor tribu-  
lationibus exerceri. ut cum defecerit homo et subuenerit de-  
us. ab homine ut dignum est honoretur. Hoc enim dicit.  
Inuoca me in die tribulationis crucis te. et honorificabis me  
fit itaque hoc modo ut homo qui propter se neminem diligere  
nouerat. etiam deum vel propter se diligere incipiat. qui in ipso  
nimirum ut sepe exptus omnia possit que posse possit. et sine ipso  
possit nihil. Amat ergo deum. si propter se non propter ipsum. At  
si frequens ingruit necessitas ob quam et frequens ad deum fiat